



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Baptismus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

LIBERTAS. CAP. XXIV.

**L**ibertos manumissione accepta, alba veste decorari solitos id ostendit, quod apud Tertullianum legitur de famulo libertate donato. Atqui & vestis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine ac tribu mensaque honoratur & alibi talia, ut adversus Marcionem lib. 5. *Et sacra tinctura candidatis mos fuit albam vestem induere*, de quibus eleganter Pontius Paulinus:

*Indo parens sacro ducit de fonte sacerdos  
Infantes niveos, corpore, corde, habitu.*

Neque minus luculenter Fortunatus:

*Candidus egreditur mihiis exercitus undis Fulgentes avimus vestis quod candida signat,  
Atq; vetus vitium purgat in amne novo. Et grege de niveo gaudia pastor habet.*

Et quoniam per hebdomadam Paschatis una tingi plures consueverunt, ea de causa feria illa, quæ ad hoc omnes instituta sunt, & quæ subsequitur hebdomada. *In albis* adhuc appellatur. Erat vero signum quoddam manumissionis, de quo supra dictum.

MODESTIA. CAP. XXV.

**E**rat & modestiæ signum alba vestis, animiq; qui præsentibus æquus, nihil ulterius tentare videatur: uti purpura ambitionis, animique sublimis & vasti, amplitudinis, magistratusque summi. Sane cum apud Alexandrum quidam Antipatri parsimoniam atque modestiam commendaret: *Fortem prævis*, inquit Alexander, *albo utitur pallio, intus vero totus est purpureus*: fictam notans in homine ambitiosissimo, qui maxima quæque appeteret, parsimoniam.

*Hinc candidati cultus, tu integritatem præferebant in Magistratus petitione.*

LEGES, VETUS ET NOVA. CAP. XXVI.

**S**ed ut ad nostra redeamus, Cantorum cantico legitur, *Fraterculus meus albus & rubicundus*, quo loco Divinarum literarum interpretes, per colorem album Legem veterem intelligunt, per rubicundum prædicationem Evangelii, utrumque autem in Christo: ipsius est enim Lex, ipsius Evangelium. Sane ubi Levitico de cicatricibus agitur, *albam*, ajunt, *cicatricem* Legis transgressionem significare. Ita illi omnia hieroglyphice sunt intelligenda.

*Cant. c. 5.*

DE STOLA. CAP. XXVII.

**S**tola apud veteres invenias matrimonialis pudicitiae signum, de qua Tertullianus plura. *Ovidius* amoris & impudicitiae præcepta daturus, quo se tamen verecundum assimularet, ait:

*Esse procul vitæ tennes, in signe pudoris,  
Quæq; regis medios insita longa pedes.*

*Hinc Tibullus, Impeditur at crines nec stola longa tuos*

BAPTISMUS. CAP. XXVIII.

**E**vangelii vero locum, *Cito proferte stolam primam*, pro juvene perduto, qui redierat in viam, veteres aliquot Theologi accipiunt pro baptismo, ut apud Eucherium. Supra vero exeuntibus a baptismatis tinctura, vestem albam parari ostendimus.

*Lut. 15.*

DE ATRATIS.

SACERDOTES ÆGYPTII. CAP. XXIX.

**C**ontra vero nostrorum mores, sacerdotes Ægyptii, cum supplicabant, nigris utebantur vestibus, neque alias quam nigras vestes eum decere arbitrabantur, qui diis preces allegaret: quippe ut terram ipsam supplicare significarent, ex qua mortales conformati sumus. Ea vero apud ipsos nigra figurabatur.

CERES ET PALACRALIS FLAMEN. CAP. XXX.

**E**t Cereri nigra vestis apud Arcadas induebatur. Et Falacralis flamen nigro utebatur pileo: erat enim Plutonis: cui cum immolabant, vestibus utebantur nigris, quem colorem ajunt inferis diis

*Eriamnum civis hōdedica die.*